

tris. 8, et l. fin. c. de Calumn. Ratio est; quia cum denuntiatio judicialis ad vindictam publicam publico iudicio inferendam tendat sicut accusatio, publico autem iudicio sine legitima probatione puniri nemo possit, injuste quis judicialiter denuntiatur de crimine, quod probari nequit, cum sine fructu fama ejus læderetur. Et licet denuntiator de jure non incurrat pœnam talionis, ut in probatione deficiens accusator, reputatur tamen calumniator et ut talis punitur, juxta dicenda, tit. seq.

Imo nec potest iudex recipere denuntiationem judicialem, vel vi illius ad inquisitionem procedere, et processum instituere, nisi videat a denuntiatore tales denominari testes, aut offerri probationis media, per quæ delictum sufficienter probari valeat: secus faciens censetur etiam esse calumniator, utpote iudicium publicum sine probationibus attentans; nec evadit pœnas calumniatoris, saltem extraordinarias arbitrio iudicis imponendas, ut vult Ameno, loc. cit. citans alios.

90. *Delictum, quod præter delinquentem unus solus scit, denuntiari judicialiter nequit. Quid faciendum in praxi, si duo tantum sciunt delictum?* — Ex quo infertur, delictum soli delinquenti nocivum judicialiter denuntiari non posse, si illud unus solus præter delinquentem scit nulla alia indicia, aut probationis media habens: bene vero, si duo sciunt; quia duo sufficienter probant, c. Licet. 23. de Probat. Advertendum tamen, quod si duo tantum præter delinquentem sciunt tale delictum, et judicialem denuntiationem ex certis causis utilem, aut necessariam iudicent, nullus eorum judicialem denuntiationem facere, sed alicui alteri, ut faciat, ambo relinquere debeant; quia si unus ex illis duobus denuntiat, non potest amplius esse testis, juxta dicenda § IV. n. 226, et n. 228, consequenter delictum probare amplius nequit, cum alter adhuc sciens utpote unicus testis ad probationem non sufficiat, cit. c. 23, de Probat. E contra vero si tertius aliquis delictum ex visu, aut sensu proprio non sciens denuntiet, bene possit duos illos delictum scientes allegare, ac per eos delictum sufficienter probare.

91. *Et quid, si præter unum scientem adsint indicia?* — Insuper pro praxi advertendum, etiam in casu, quo præterquam quod unus solus delictum sciat, adsint etiam sufficientia indicia commissi ab aliquo crimi-

nis, non expedire, ut judicialiter, sed ut paterne denuntietur, ad hoc, ut, si dein superior ob cognita indicia judicialiter inquirat, prout potest juxta dicenda infra n. 173; denuntians testis esse valeat; nam solum paterne denuntians bene potest esse testis, per dicenda infra n. 226.

92. *In dubio, an judicialiter quid denuntiari possit aut debeat: quid faciendum?* — Porro in dubio, an quis judicialiter denuntiare valeat, aut debeat, vel an præstet paterne, aut judicialiter denuntiare; optimum erit ab initio rem paterne deferre ad superiorem, eumque consulere, ac iudicio illius relinquere, num etiam debeat judicialem denuntiationem facere vel non: cum enim superior supponatur, ordinarie magis intelligere, quid fieri oporteat, aut debeat, utique optimum erit, in dubio, ejus consilio, et iudicio se committere.

93. *Delicta, præjudiciosa etiam occulta, judicialiter denuntiari possunt, et debent. Remissive.* — Cæterum notanter dicitur in conclusione n. 89, posita: « Nisi vergat in præiudicium communitatis, aut tertii; » quia etiam occultum delictum vergens in hujusmodi præiudicium judicialiter denuntiari potest, ac debet juxta dicenda infra.

94. *Ad denuntiationem rite faciendam requiruntur eadem fere, quæ ad accusationem: et quæ illa in specie?* — Queritur VI. Quomodo fieri debeat denuntiatio judicialis? seu, quæ requirantur ad eam rite faciendam? præsertim utrum ad eam etiam prærequiratur duplex monitio seu correctio evangelica charitativa? Resp. I. Ad denuntiationem judicialem fere eadem requirantur, quæ ad accusationem requiruntur, excepta inscriptione, juxta dicta § præced. a n. 6. Clarus loco citato citans communem, simulque cum aliis asserens, ita observari in toto mundo. Ratio est, quia agit vices accusationis: hinc sicut ad accusationem, ita etiam ad denuntiationem judicialem requiritur I. Ut in scriptis afferatur, vel oretenus a denuntiatore proposita, saltem per actuarium, vel notarium publicum scribatur, et in acta redigatur. Requiritur II. Ut exprimatur nomen iudicis (apud nos tamen sufficit exprimere nomen officii, v. g. provincialis) III. Nomen denuntiantis, et denuntiat; qualitas seu species delicti; item locus et tempus illius, annas saltem, et mensis, per jura, et rationes § præced. a num. 6, allegatas. Et quidem hæc omnia sunt de forma substan-

tiali, et ita necessaria, ut si aliquid horum omitteretur, processus esset nullus, et reus absolvendus, etsi nemo quidpiam opponat; ut cum communi aliorum præsertim in l. Edita. q. 12, n. 9, bene docet Clarus, et sequitur novissime Ludov. de Ameno, tit. Denuntiatio, § 4, q. 4, n. 36.

IV. Requiritur, ut exprimatur dies, et a fortiori annus denuntiationi factæ, et quidem probabilissime etiam de substantia, juxta dicta § præced., n. 9.

95. *Denuntiator judicialis tenetur denominare testes, et probationis media suggerere iudici.* — V. Requiritur, ut denuntiator denominet testes, et probationes, media, ac instrumenta, quæ scit, vel habet, iudici suggerat, arg. l. Ab accusatione, 6, § 3, ff. de S. C. Turpill. et ibi doctores. Ratio est, ut ex tali instructione iudex cognoscere queat, an delictum sufficienter probari, consequenter ille denuntiationem recipere, et inquirere, processumque formare valeat, an vero denuntiationem rejicere debeat? juxta dicta n. 89.

96. *Denuntiator non tenetur probare, sed tantum testes denominare, et media probationis suggerere, et iudicii probationem relinquere: secus est in accusatore.* — Et in hoc etiam differt denuntiatio ab accusatione, utpote in qua non requiritur, ut accusator statim ab initio denominet testes, sed sufficit, si eos producat tempore, quo erunt ad probationem necessarij, prout bene observat Ludov. de Ameno, tit. VIII, § Accusatio. ad § 3, num. 22, quamvis etiam accusator, si velit, statim ab initio una cum libello denominare testes, aliasque indigitare possit probationes juxta dicenda n. 352 et n. 353, et seq. Est etiam aliud discrimen inter testes in accusatione et denuntiatione; quia in illa producentur ab accusatore, et ut ab eo producti examinantur; in ista vero assumuntur ex officio, et non ad instantiam partis, sed tantum ad suggestionem, seu submirationem denuntiantis. Unde per testes delictum non probat, nec probare tenetur ipse denuntiator, sicut facere debet accusator; sed tantum testes et media probationis iudici suggerit, et suggerere debet, relinquens iudici, ut mediantibus illis ad probationem descendat.

97. *Concordat cum dictis praxi criminalis nostri ordinis.* — Fere totum hoc de requisitis ad denuntiationem judicialem præscribitur etiam in praxi criminali ordinis nostri

tit. IX, § Denuntiatio, § 3, illis verbis: « Denuntians judicialiter tenetur tempus, locum, crimen, adnotare, ac testes nominare, quos dein iudex ex officio examinare debet, si denuntiatorem accusare judicaverit rationabiliter. »

98. *Ad valorem denuntiationis judicialis non requiritur prævia monitio, vel correctio evangelica.* — Resp. II. Ad valorem denuntiationis judicialis nullatenus requiritur, ut monitio, seu correctio evangelica præcedat, Layman. citatus numer. 88, Lessius, lib. II, cap. III, dub. 3, cum Palao, de Charit., tr. III, disp. 3, pun. 16, num. 3. Ludov. de Ameno, tit. 9, § Denuntiatio § 1, num. 9; Molina, tr. IV, disp. 32, num. 6; Palud. Adrian. Soto, et alii contra Azorium, p. 3, lib. XIII, cap. XXI, dub. 5; Pirhing, h. t. n. 9, aliosque volentes, ad denuntiationem judicialem faciendam in foro sæculari non requiri monitionem præviam evangelicam, bene tamen ad illam, quæ fit in foro ecclesiastico. Ratio est; quia nec divinum, nec humanum jus illam præscribit in denuntiatione judiciali; cum, ubi jura eam requirere videntur, loquantur vel de denuntiatione evangelica, vel de consilio, vel præcise narrent speciem facti. Confirmatur; Consuetudo est optima legum interpretis, L. 37, ff. de Legib. atqui consuetudine, usu, et praxi omnium tribunalium constat, quod nullus iudex judicialiter denuntiantem de prævia correctione fraterna interroget, aut, ut de ea prius doceat, mandet; quod tamen fieri deberet, si prævia secreta correctio fraterna ad valorem, seu substantiam denuntiationis requireretur. Imo non potest iudex a denuntiante rationabiliter interrogare de prævia secreta monitione facta, vel, ut de illa prius facta edoceat, exigere, hoc ipso, quod prima monitio seu correctio evangelica secreto fieri debeat, et consequenter probari nequeat.

99. *Confirmatur ex fine illius.* — Confirmatur ulterius ex fine principalis denuntiationis judicialis. Hujus enim denuntiationis finis principalis non est emendatio, et privatum bonum delinquentis, sed vindicta publica illius ob bonum publicum, quatenus nempe tali publica vindicta seu pœna alii terreantur, et delinquere cessent, vel omittant, et delinquendo, bono publico non noceant. Quapropter etiam fieri potest, de delictis jam plene emendatis, et per delinquentem non amplius committendis per dicta numer. 88. Consequenter prævia correctio et

monitio delinquentis ad eam nullatenus requiritur; cum hæc denuntiatio emendationem delinquentis, et bonum illius privatam, ob quod fieri monitio prævia deberet, non attendat, nec respiciat. Unde etiam potius actum justitiæ, quam charitatis continet; prout bene notatur in praxi criminali nostra, tit. IX. §. Denuntiatio. § 1, illis verbis: Evangelica seu fraterna denuntiatio respicit emendationem fratris, actum charitatis, et bonum delinquentis, ut scilicet respiscat. Judicialis vero respicit punitionem, actum justitiæ, bonum privatam, aut communitatis, ut malus puniatur in exemplum aliorum. »

100. *Confirmatur ulterius.* — Confirmatur. Omnes doctores, etiam illi, qui volunt, ad denuntiationis judicialis valorem saltem subinde requiri monitionem præviam evangelicam, ultro fatentur, hanc ad illam non requiri, quando peccatum jam est publicum (intellige, prout opponitur occulto) atqui denuntiatio ordinarie non fit, nec fieri potest, nisi peccatum jam sit publicum, ita saltem, ut probari valeat, juxta dicta numer. 89. Ergo ad ejus valorem monitio prævia evangelica non requiritur, præsertim cum hoc ipso, quod ita sit publicum, ut probari valeat, non amplius obliget textus, et præceptum evangelicum, utpote tunc solum vim obligandi habens, quando frater in te, id est, te, vel aliquo alio solo sciente, peccavit, sicque ubi soli per peccatum, vel notitiam illius nocuit, per dicta supra n. 65 et seqq.

101. *Solvuntur jura contraria.* — Nec obstant jura, et canones, quos pro se citant adversarii, præsertim vero c. 2, h. t. et c. Cum dilectus. 20, eod. et c. Novit. § 1, de Judiciis. Resp. enim primo: Universaliter, jura, dum correctionem præviam evangelicam requirunt ad denuntiationem, non loqui de denuntiatione judiciali criminali ad publicam vindictam; sed vel loqui de evangelica, vel de canonica, quatenus ad illam reducitur; vel in ordine ad intelligendam pœnam, quæ de jure speciali requirit monitionem præviam, prout advertit Glossa in c. Licet §. Inscriptio. de Simon. Vel loquuntur de consilio, præcise narrant speciem facti. Et quidem in specie c. 2 et 20, h. t. videntur loqui de denuntiatione canonica in ordine ad pœnas, vel personas de speciali jure requirentes præviam monitionem, n. Novit. de Judiciis, autem narrat laudabile factum regis Angliæ, quod non facit juris dispositionem. Vel dic, cum

Ameno, tit. IX. §. Denuntiatio. q. 1, num. 24, canones illos antiquos universaliter requirentes, ut denuntiationi monitio fraterna præmittatur, de denuntiatione judiciali ideo fuisse locutos; quia illam utpote tunc temporis in usu non existentem non cognoverunt, agnoscentes tantum duos modos judicialiter procedendi per viam accusationis, et inquisitionis, quibus tamen jure novo, et consuetudine accessit tertius modus, nempe per viam denuntiationis vere judicialis, quæ hodie loco accusationis frequentissime adhibetur, et fere eosdem cum illa effectus habet.

102. *Quæ etiamsi quid probarent, jam essent abrogata consuetudine.* — Dein responderetur ulterius, quod si de jure ad valorem denuntiationis vere judicialis in foro ecclesiastico faciendam requiretur monitio prævia, jus illud consuetudine contraria jam pridem esset abrogatum.

Nec dicas jus canonicum requirens monitionem præviam fundari in jure divino evangelico, Math., xviii, contra jus divinum autem non dari consuetudinem, c. fin. de Consuetud. Resp. enim, quod jus divinum evangelicum, etiamsi dato non concesso, etiam ad judicialem denuntiationem requiret monitionem præviam, eam exigeret non ad valorem, sed ut licite fiat, ac sine peccato, quod præcipue intendit Evangelium. Dein argumentum hoc nimium, illud scilicet probaret, etiam in foro sæculari ad denuntiationem judicialem prærequiri monitionem (cum jus divinum non minus in foro sæculari, quam in ecclesiastico obliget) quod tamen negant adversarii nostræ conclusionis.

103. *Num etiam licite fieri possit denuntiatio judicialis sine prævia monitione?* — Dicitur autem notanter in conclusione numer. 98. posita: « Ad valorem denuntiationis judicialis non prærequiritur monitio. » Nam utrum requiratur monitio, ut licite fiat, quæstio potius theologica, quam canonica est; et ideo theologis exacte discutienda relinquatur. Juvat nihilominus breviter saltem de hæc quæstione resolvere. Hinc:

104. *Causæ excusantes a monitione prævia in denuntiatione evangelica excusant etiam in judiciali.* — Resp. II. Omnes causæ vel circumstantiæ, ob quas juxta dicta a numer. 65, sine monitione prævia tacite fieri potest denuntiatio evangelica, faciunt a fortiori, quod etiam sine monitione licite fieri valeat de-

nuntiatio judicialis. Est certa apud omnes. Et patet, magis requiritur monitio prævia ad denuntiationem evangelicam, quam judicialem; ergo casu quo ad illam non requiritur monitio, multo minus requiretur ad istam. Et sicut ibi numer. 73, diximus, ordinarie non esse obligationem præmittendi denuntiationi evangelicæ monitionem; ita a fortiori dicimus idem de denuntiatione judiciali.

105. *Etiam ad licite faciendam denuntiationem judicialem non requiritur monitio prævia.* — Resp. III. Denuntiatio vere judicialis etiam adhuc occultorum criminum, et quæ jam mere præterita, emendatæque existunt, ac quæ ex sua natura non nisi delinquenti nocent, consequenter cujusvis delicti absque prævia monitione licite quoque fieri potest, dummodo probari valeat. Layman, lib. III, tr. III, p. 2, cap. iv, num. 13, et alii ab eodem ibidem, et supra a nobis num. 98 citati, Palao, h. t. num. 104. Probatur juribus et rationibus supra num. 88, et numer. 98 allatis, ea enim satis probare videntur, quod de his peccatis denuntiatio judicialis non tantum valide juxta dicta num. 98, sed etiam licite fieri possit; præsertim cum jura, quæ ad esse licitum requirere videntur monitionem, etiam quoad consuetudinem sunt abrogata.

106. *Delictum communitati, aut tertio præjudiciosum etiam tenetur quis judicialiter denuntiare.* — Quæritur VII. An etiam, et quando teneatur quis tacere denuntiationem judicialem? Resp. I. Delicta publica (prout publicum opponitur privato) id est in publicam perniciem, aut damnum reipublicæ seu communitatis vergentia, de quibus supra numer. 30; Item etiam delicta in damnum aut præjudicium alicujus tertii vergentia, tenetur quis etiam judicialiter denuntiare, si denuntiatio paterna seu evangelica damnum sufficienter et certissime impeditura, aut sublatura non videtur, Sanchez, lib. VI. Consil. dub. 9, numer. 4; Sylvester §. Denuntiatio, quæst. 1; Fachin. lib. IX, contr. cap. lxxxvi, cum communi aliorum, arg. Quisquis. 5. § Id quod. ff. ad Leg. Jul. majest. l. Si forte de Pœnis. l. Nostris. 8, C. de Calumniator. cum Concordantiis. Ratio est, quia juxta communem theologorum, quivis, si non est justitia, saltem ex charitate tenetur malum communitatis, aut proximi avertere, si potest. Hinc etiam, qui sciunt malum communitati, aut proximo imminere, illud-

que non impediunt, dum possunt, rei sunt culpæ. arg. c. iv, de Furtis. cap. XLVII, de Sent. excomm. L. 1, § 18, S. C. Silano, l. Quisquis. 5, § Id quod. 6, ad Leg. Jul. majest. cum Concordantiis et puniuntur, si non denuntiant hujusmodi delicta communitati perniciosam, cit. l. Si forte de Pœnis, et L. 2, ff. ad Legem Pomp. de Parricid.

107. *Nisi certa spes appareat, damnum sola evangelica denuntiatione impeditur posse.* — Dicitur autem notanter in conclusione, « si denuntiatio paterna evangelica damnum certissime impeditura non videtur; » per hanc enim, si certe impeditur potest damnum, potest quis eum, ommissa denuntiatione judiciali, adhibere, prout cum communi bene docet Palao de Charit., tr. VI, d. 3, pun. 13, num. 8, nisi specialiter expediat, ut delictum ad exemplum aliorum publice vindicetur, Layman. lib. III, tr. III, p. 2, cap. iv, num. 13. § Dico secundo, et alii. Ratio est, quia bonum commune sequens ex publica vindicta præferendum est particulari, arg. can. Scias. 39. cau. 7, q. 1.

108. *Si tamen tale delictum probari nequit, non tenetur quis stricte judicialiter.* — Notandum tamen, quod si perniciosum tale delictum sufficienter probari non valeat; uti si uni tantum præter delinquentem constat, non teneatur is illud stricte judicialiter, id est ad publicam vindictam, et cum obligatione, pœnas calumniæ, deficiente probatione, incidendi, denuntiare; prout cum communi aliorum docet Navarrus lib. III, de Restit. cap. II, numer. 358; Suarez, de Charit., disp. 8, sect. 6, num. 6, in fine; Durandus, Soto, et alii, arg. can. Hoc videtur. 8, cau. 22, qu. 5, et can. Erubescant. 11, dist. 32. Ratio patet ex dictis, quia de occultis fieri non potest verum judicium, nec sumi publica vindicta, sed judex et vindex Deus est; arg. cit. can. Erubescant, ibi: « De manifestis loquimur; secretorum autem et cognitor Deus et judex est. »

109. *Bene vero minus stricte judicialiter, nempe indicare judici ad hoc, ut vigilet, inquiret, et damnum avertat.* — Resp. II. Quo non obstante tenetur quis tale communitati, aut tertio perniciosum, etsi penitus occultum crimen superiori denuntiare ut judici, non principaliter ut puniat, et publice vindicet, sed ut generaliter inquiret, vigilet, attendat, et omne meliori modo præcaveat, mediæque adhibeat, quantum possibile est, ut damnum communitatis, aut etiam privati aver-

tatur, vel immediatur; licet dein per accidens hac via manifestus fiat, et publice puniatur delinque^{ns}. Ita cum communi docet Sylvester *ŷ. Corruptio*. quæst. 5; Sanchez, lib. III. *de Matrim.*, disp. 13, numer. 2; Lessius, lib. II. *de Justit.* cap. xxx, dub. 2, numer. 13, et dub. 6, numer. 43; Palao, loc. cit., pun. 13, num. 10, concilians doctores videlicet, quod illi, qui dicunt, peccatum occultum, etsi in damnum communitatis, aut tertii vergat, judicialiter denunciari non posse, intelligi debere de denuntiatione stricte, et proprie judiciali, principaliter intendente publicam vindictam ob bonum commune, non autem de denuntiatione minus proprie judiciali, de qua in num. præsententi.

140. *Probatur ratione.* — Ratio est, quia juxta sæpe jam dicta quis tenetur impedire damnum communitatis, et proximi, si potest, per jura citata; ergo si non potest id præstare per denuntiationem evangelicam, nec alio modo, tenetur omnino arripere denuntiationem, num. præced. præscriptam. Et certe impium et iniquum videtur dicere, illum, qui solus scit delinquentem intendere comburere civitatem aut prodere, vel occidere proximum, aut in secreto talia patrare scelera, quæ in grave præjudicium communitatis, aut tertii vergunt, non teneri id denunciare superiori ut judici, si rationabiliter judicat, per denuntiationem evangelicam malum non tolli aut impediri, ut bene argumentatur Palao, loc. cit.

141. *Confirmatur per declarationem cardinalium.* — Confirmatur ex declaratione cardinalium, quam Palao, loc. cit., allegat sequentis tenoris: « Quando prudenter judicetur non posse adhiberi sufficiens remedium, quo bono communi, vel tertiæ personæ provideatur, nisi assumatur ea in re persona judicialis, tunc tenebitur subditus ad judicialem denuntiationem faciendam superiori: » ubi nota, quod congregatio loquatur de delictis omnino occultis.

142. *Monitio ad judicem, et denuntiantem tale crimen.* — Ubi tamen monemus superiores, et subditum, hunc quidem, ut superiori sincere manifestet, se delictum probare non posse, proinde præcise dicere, ut conscientiam suam satisfaciatur, damnum avertere intendens, proin a pœnis calumniæ immunis esse velit: superiores vero, ut attendat, et circumstantias bene consideret, an non fiat injuria denuntiatio; vel si denuntiationem

veram judicat, ut ita caute et prudenter procedat, ne reveletur, et inde patiat denuntians.

143. *Delicta notoria, manifesta et famosa etiam soli peccanti nociva judicialiter denunciari debent.* — Resp. III. Si delictum etiam soli peccanti nocivum jam est notorium, aut saltem manifestum, vel famosum, ita ut illud major pars communitatis jam sciat; ignoret autem superior, datur obligatio illud vere judicialiter denunciandi, etsi delinquens jam emendarit se, et non amplius delinquere credatur. Sanchez, lib. VI. *Consil.* cap. II. dub. 5; Sylvester, *ŷ. Denuntiatio*. quæst. 3, et alii, arg. can. *Sed illud*. 17, dist. 47, et can. *Si peccaverit*, cau. 2. quæst. 1. Ratio est, quia, nisi denuntietur judicialiter, graviter patitur communitas, dum cæteri facilius peccant, videntes delicta manere impunita: scandalum autem et malum communitatis quis avertere tenetur, si potest, per dicta num. 106.

144. *Tenetur etiam superior ex officio de illis judicialiter inquirere.* — Dicitur notanter: « ignoret autem superior; » hic enim, si jam scit, tenetur ipsemet ex officio procedere, per dicenda infra. Consequenter subditus ab obligatione immunis est, nisi forsitan videret, superiorem ex inordinato affectu, aut respectu simulare ignorantiam, aut nolle officio satisfacere, nisi denuntiatione urgeatur; tunc utique amore communitatis, et ad avertenda scandala denunciare oportebit, ut judex ad inquirendum et procedendum adigatur: facta enim denuntiatione judiciali tenetur judex inquirere, ac procedere, juxta dicenda infra.

145. *Etiam occulta nemini nociva delicta debent subinde judicialiter denunciari.* — Resp. IV. Etiam non notoria, et manifesta, nec famosa, sed aliquo modo adhuc occulta, solique peccanti nociva delicta potest et tenetur quis judicialiter denunciare, si probari possunt, et spes probabilis non appareat, quod alio modo emendetur delinquens, aut si ob circumstantias, vel certas rationes expedit, ut delinquens judicialiter denuntietur, aut tale delictum forsitan jam valde grassans ad terrorem aliorum publice puniatur. Patet conclusio ex dictis supra n. 88 et n. 105. Quibus accedit, quod quis ex charitate teneatur proximum liberare a gravi malo animæ, si potest, ergo si id fieri nequit alio modo quam judiciali, utique fieri oportebit. Nec refert, exinde pati bo-

num famæ ipsius, quia hoc tanquam minus postponendum est bono animæ; præsertim si ex publica delicti vindicta bonum, et utilitas communis speranda sit, arg. can. *Scias*, 39, can. 7, q. 1.

146. *Deductio practica ostendens, quod sæpe, præsertim in religione, fieri debeat denuntiatio judicialis.* — Atque ex his infertur, quam sæpe teneantur subditi facere denuntiationem judicialem, si non semper stricte, et proprie, saltem minus stricte, talem n. 109, descriptam, præsertim in religionibus, ubi fere quævis gravia alias ex natura sua, solum privata, v. g. fornicationes, et alia delicta carnis, censentur publica; id est, in publicam confusionem, diffamationem, aut præjudicium religiosæ communitatis redundantia; quæ proin absque ulla monitione prævia judicialiter denunciari possunt ac debent, si probari possunt, juxta dicta n. 106: imo, etsi probari nequeant per dicta n. 107 et 108, si ita qualificata videntur, ut denuntiatio, vel monitio evangelica certo non profutura, sed id potius effectura credatur, quod delinquens malitiam suam in posterum magis abscondat, et cautius procedat, interea peccare, ac religionem prostituere, aut periculo prostitutionis et confusionis exponere non desinat; quod de male habitatis, aut superbis, aut jam correctis, et non emendatis, aut alias malitiosis timendum, et propterea contra illos saltem per viam denuntiationis judicialis procedendum est, præcipue in materia luxuriæ, utpote in qua delictum commissum, semper graviter præjudicat communitati, si innotescat, ob quod in religione nostra fornicationes, adulteria, peccata nefanda, inter peccata publica, seu in publicam perniciem redundantia, consequenter absque omni monitione prævia, judicialiter denuncianda statuuntur, etiamsi occulte committantur, dummodo periculum sit (prout ordinarie est) quod publicari possint; uti loquitur textus processus criminalis. tit. IX, *ŷ. Denuntiatio*, § 2, ubi peccata publica et privata ita enarrantur.

147. *Delicta publica et privata in ordine nostro quæ?* — « Privata delicta dicuntur, quæ privatum denuntiantis, aut propriam delinquentis perniciem concernunt, ut gula, superbia, ira, etc. Publica vero, quæ in publicum religionis detrimentum vergunt, ut crimen læsæ majestatis divinæ, vel humanæ, ut hæresis, blasphemia, sortilegia, profanationes sacrorum, conspirationes in ge-

neralem, qui est princeps religionis, et in provinciales, eorumque commissarios, ac superiores locales; eorumque vulnerationes, percussiones, homicidia, subornationes in electionibus simonia, peccatum nefandum, fornicationes, adulteria, dummodo periculum sit, hæc tria (ultima) publicari posse, secus inter publica, et perniciose numerari non debent. » Et de his publicis etiam occulte commissis delictis expresse statuitur in processu criminali loc. cit. § 1. Sic, « In judiciali denuntiatione, si delicta sint publica et exceptuata, correctio charitativa non est necessaria. »

148. *Compendiosa notitia, quando et quomodo possit, aut teneatur quis denunciare; et quando excusetur.* — Quæritur VIII. Qualiter in compendio, et per modum corollarii sciri possit, quando, et quomodo quis possit, aut debeat denunciare, vel excusetur a facienda denuntiatione tam evangelica, quam judiciali? Resp. I. Quando delictum est penitus occultum in nullius quam delinquentis damnum vergens, et non nisi uni præter delinquentem notum, excusatur quis a denuntiatione illius tam evangelica, quam judiciali, si probabiliter credit, illud sola correctione seu monitione secreta, vel etiam absque illa emendandum, et non amplius committendum fore. Omnes. Ratio patet, quia in tali casu juxta dicta n. 62, non potest; ergo multo minus tenetur denunciare; diffamaret enim sine causa proximum.

149. Resp. II. Quando crimen penitus occultum vergit in præjudicium tertii, aut communitatis, excusatur quis ab utraque denuntiatione, si certissima, seu moralis certitudo habetur, quod delinquens absque denuntiatione se emendaturus, et communitati, aut tertio, cui nocuit, plene satisfaturus sit, Palao, *de Charitat.* tr. VI, disp. 3, pun. 4, allegans fere communem. Patet conclusio: nam in tali casu non tenetur ad evangelicam denuntiationem; quia hujus finis est emendatio, quæ ex supposito jam habetur nec ad proprie judicialem strictam talem, cum hæc fieri non possit, quando delictum probari nequit, juxta dicta n. 108. Nec ad judicialem minus propriam; quia hæc præcise fieri deberet ad avertendum, vel resarciendum damnum, juxta dicta n. 109, quod jam factum, vel alia via certissime faciendum supponitur.

120. Dicitur tamen: « Si certissima spes et moralis certitudo habetur; » quia, quando